

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1750)
Heft: 18

Artikel: Oratio de sciendi cupiditate
Autor: [s.n.]
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394672>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 02.04.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

(*) ORATIO

de

SCIENDI CUPIDITATE.

COgitanti mihi, quam potissimum materia ego, bona benevolentia vestra, in tam præclaram Societatem adscitus, auspicarer recitationes meas; Uberrimum ad dicendum argumentum vos ipsi præbuitis. Quos semper judicaveram hanc coivisse Societatem atque conglutinasse, discendi proficiendique studio ductos. Plerisque vestrum per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transactam, condiscipulatus memoria subinde doceor. Et, ubi robustiores facti, illustria ingenia altioribus dare studiis cœpistis, sive ad juris scientiam, sive ad historiarum notitiam, sive ad antiquitatis investigationem, sive ad interiores litteras diviniorumque sapientiam animos inclinassetis, id toto arripuisse pectore, ac universum hausisse, neminem fugit. Negotiis privatis & publicis, multifario actu rerum impeditos, doctrina liberalis usque eo delectat, ut nullum honestius ducatis otium, quam vivere in litteris, vivere cum litteratis, mentemque

(*) Binæ hæ Disfertatiunculæ Auctorem agnoscunt Virum Venerandum, Ecclesiarum Turicensium nunc Antistitem dignissimum, J. C. WIRTZ. Has jam olim, ante XXXVII. prope annos, in Societate ΦΙΛΟΜΑΘΩΝ recitaverat.

temque salubribus præceptionibus imbuere. Scilicet experiundo vos didicisse reor; ipsam multarum rerum scientiam etiam aliud agentes ornare, atque ubi minime credas, eminere & excellere. Hanc industriam vestram si non cognitam perspectamque haberem, vel solum nomen *Φιλομαθῶν* ad eam de vobis prædicandam me induceret. Cum enim prudentissimi quique viri omni tempore, nomina ex re indita voluntatis suæ significationem habere voluerint; vos quoque sedulos Minervæ cultores esse, & collocupletandi expoliendique ingenii cupidissimos, ex ipso nomine haud immerito conjicerem. Ad me autem quod attinet, ut vos ob virtutem semper feci maximi, absensque suspexi; ita, postquam Superiorum beneficio contigit, ut salvus potirer domum, amicitiam expectivi vestram, vobisque adjungi socium unice cupivi; cum quod nihil aptius vitæ, nihil ad beate vivendum accommodatius esse arbitror, quam conversari viris bonis, jucundis, litterarum studiosis; tum vero maxime, quod eadem me Musæ delectant, cordique sunt: etsi vix satis otium iis suppeditare possim. Quum itaque nos omnes eximia quadam sciendi discendique cupiditate flagremus, ad *φιλομαθεῖς* de *φιλομαθεία* sive discendi desiderio pluscula disserere, non ab re visum fuit. Et ut ne nimium longa sumatur oratio, anime vestri & rerum & verborum circuitationibus fatigentur, statim de eo dicere incipiam, quod exorsus sum.

Multa quidem homini cum bestiis communia sunt, præsertim quæ ad corporis motus regendos, vitamque animaleam conservandam pertinent.

Omni namque animantium generi est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque quæcumque ad vivendum sint necessaria, inquirat & paret: ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis. Commune item est, corpus ad hoc vel illud agendum varie inflecti, singulasque partes ejus apte moveri. In quo bestiarum agilitatem hoc magis admirari solemus, quod nulla ad agendum præparatione, nulla prudentia septam videmus. Sed inter hominem, & beluam hoc maxime interest, quod hæc tantum corpus habet, ex partibus affabre inter se junctis compositum, quod sensu movetur, & ad id solum, quod præsens est, se accommodat, paullulum admodum sentiens præteritum aut futurum. Homo autem rationis particeps, sive animi ad summi Numinis naturam expressi, eorum quæ agit, ita sibi conscius est, ut sapienter intelligere, recteque velle possit. Quæ animi partes, quo sunt excelsiores, eo dant clariora indicia naturæ. In primis hominis est propria rerum, quæ sciri possunt aut debent, inquisitio atque investigatio: quippe quæ maxime naturam attingit humanam. Omnes enim, ut vere dixit Orator, trahimur & ducimur ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem, in qua excellere, pulchrum putamus: labi autem, errare, nescire, decipi, & malum, & turpe ducimus. Vos testor? Quum estis necessariis negotiis, curisque vacui, nonne auctis aliquid videre, audire, ac discere, cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad bene, beateque vivendum necessariam judicatis? Immo tantus cognitionis amor, & scientiæ in omnibus innatus est, ut nemo

mo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videamusne, ut altiore animo præditi, litteris se involvant? ut se totos in libros abdant? ut omnem curam atque operam ad studia doctrinæ conferant? Qua in vita tantum abest, ut voluptates consecrentur: etiam curas, sollicitudines, vigilias perfecerunt: optimaque parte hominis, quæ in nobis divina ducenda est, ingenii & mentis acie fruuntur, nec voluptates requirentes, nec fugientes laborem. Nec vero intermittunt aut admirationem earum rerum, quæ sunt ab antiquis repertæ, aut investigationem novarum: quo studio, quum satiari non possunt, omnium ceterarum rerum oblitæ, nihil abjectum, nihil humile cogitant: tantaque est vis talibus in studiis, ut eos etiam, qui sibi alios proposuerant fines bonorum, quos utilitate, aut voluptate dirigunt, tamen in rebus quærendis, explicandisque naturis ætates contere videamus.

Quod si cui forte dubium est, prodeant in medium illa Græciæ corcula, illa ingenuarum artium receptacula; qui omnes suis comprobarunt exemplis, voluptatis, quæ discendo sentitur, ut quisque percepit plurimum, ita eam acrius atque avidius concupiscere. Prodeat Plato: quem accepimus tanta industria in discendo fuisse, ut disciplinis, quas eruditissimæ Athenæ suppeditabant, non contentus, ad Pythagoram magistrum, tum in Italia ingenii, doctrinæ, sapientiæ gloria florentissimum, navigarit, ac Aegyptiorum sacerdotes adierit, & eorum arcana perdidicerit. Pythagoras autem ipse non Aegyptiorum solum, sed

etiam Persarum regionem perlustrarat, & Cre-
tam, ac Lacedæmona, ac sicubi quid esset, quod
disci posset, eo penetrarat. Prodeat Democritus,
a quo propter discendi cupiditatem legimus ulti-
mas terras esse peragratas. Prodeat Demosthenes,
quem tanto doctrinæ studio flagrasse ferunt, ut
etiam doleret, si quando opificum antelucana forte
victus esset industria. Scilicet vir ille summus gra-
viter ferebat, se qui opus immortale tractaret,
somnia capere, fabris ipsis ad rem vilissimam
excitatis. Prodeat sollertissimus ille cœlestium or-
bium non perscrutator tantum, etiam imitator,
Syracusanus Archimedes, qui non modo earum
rerum, quas natura fert, per eam quam capie-
bat, studii oblectationem memor non erat: sed
in illa ipsa Syracusanæ urbis direptione, ita defi-
xus erat in studio, ut prius hostilis gladii cuspi-
dem corpore exceperit, quam urbem in hostium
venisse potestatem sentiret. Senserat quidem Ro-
mani exercitus imperator Marcellus, machinatio-
nibus ejus multum ac diu victoriam suam inhibi-
tam: eximia tamen hominis prudentia delectatus,
captis Syracusis, ut capiti illius parceretur, edi-
xit. At is, dum animo & oculis in terra defixis
formas describit, militi qui prædandi gratia domum
irruerat, districtoque super caput gladio, quis-
nam esset, interrogabat, propter nimiam cupidi-
tatem investigandi quod requirebat, nomen su-
um indicare non potuit; sed protracto manibus
pulvere. Noli inquit, obsecro perturbare lineas,
miles: ac perinde quasi negligens imperii victoris,
obtruncatus est. Chrysiippus etiam sæpe studio
intentus, tanta voluptate perfruebatur, ut eum
tamquam extra se positum cibi potionisque cape-
ret

ret oblivio. Solonem vero accepimus, cum in lectulo morti proximus decumberet, inaudissetque adfidentes amicos de re quapiam submisisse, ne ipsi molestiam parerent, inter se sermonem conferentes, erecto, ut potuit, fatis jam presso capite, rogasse eos, ut aliquanto loquerentur elatius: sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum e vita jucundior fore. Heraclides, natura hebetior & tardior, industria ipsam naturam vicit. Namque fuligines lucernarum bibendo, & in sudata veste durando, tantos in litteris progressus fecit, ut doctrina atque eloquentia vix quisquam eum præcurreret.

Quid vero cesso commemorare Romæ urbis principes viros? Quem ardorem studii fuisse censeatis in Catone majore, de quo Scriptores memoriæ prodiderunt, eum, quum esset jam magno natu, Græcis litteris erudiri concupivisse, quam fero, ex eo conjici potest, quod etiam Latinas pæne jam senex didicerit. Brutus autem, quanto litterarum amore flagraverit, vel inde æstimate mus, quod suprema nocte, quæ funestam ipsius mortem antecesserat, Platonis dialogum de animorum immortalitate legisse aliquoties dicitur. Cui ad simile Catonem Uticensem fecisse, Cæsar, virtutis etiam in hoste mirator, auctor est. Quid loquar Senecam? qui non modo majorum gentium, sed minutos quoque, & patellarios philosophos ita versavit, ut quidquid boni ex eorum unoquoque, aut ad orationis ornamentum, aut ad obscurarum & involutarum rerum intelligentiam, aut ad vitam moresque formandos exprimi poterat, id omne summa diligentia excerptum,

libris suis elegantissime insperferit. Illum vero eruditionis Oceanum, Plinium superiorem, quis umquam satis pro dignitate vel admirari vel celebrare poterit? qui nullum umquam librum vidit, quem non legit: nihil cognitu dignum legit, quod non excerpserit: nihil excerpfit, quod non in litteras retulerit. Antoninum philosophum quis nescit, cum sexagenario esset major, frequentasse scholam viri & usu & sapientia præstantissimi, interrogatumque ab Lucio Vero, imperii socio, quo contenderet, respondisse, adire se ad Sextium, (id nomen erat philosopho) ut disceret ex eo, quæ nesciret; καλὸν γὰρ καὶ γηράσκοντι τὸ μάχεσθαι, neque enim seni turpe esse, conquirere scientiam rerum.

Sed quid veteres, remotos & propemodum oblitteratos profero, quum novos & recentiores testes habeam? Quos autem potiores nominabo, quam civitatis nostræ heroes, religionisque ab impurioribus erroribus atque inanibus crepundiis perpurgatæ statores & propugnatores fortissimos, ZUINGLIUM, BULLINGERUM, GUALTHERUM, LAVATERUM, HOSPINIANUM, ceterosque? qui mihi videntur immensitate quadam ingenii omnem rerum naturam complexi, non tantum supra æquales suos exstitisse, sed etiam posteris omnem consequendi sui spem sustulisse? qui vera ac solida eruditionis copia & varietate ita excelluerunt, ut longissimo intervallo absfuturus ab iis sit, quemcumque illis proximum esse voveris? qui elegantiores litteras, sapientiæque studium tam impense adamarunt, ut nullo labore, nulla valetudinis jactura ab eo abducerentur? qui
omnium

omnium doctrinarum adeo fuerunt studiosi, ut continua exercitatione spirituum memoriæque vis, discendi vero ardor numquam elanguerit? Migraret profecto ex hominibus inertia atque segnitia, si eo animo ad Musarum ac Gratiarum sacrarium accederent, quo illi egressi id sunt? Post eos dicam vobis ATHANASIVM KIRCHERVM, qui, dum admiranda naturæ sollicitius peruestigat, ipse naturæ miraculum existit. Hunc tantum virum totas noctes perpetuis vigiliis egisse ferunt, cum in re majore ac involutiore inquirenda limandaque occupatus esset; &, ut ne somnus impedimento foret, ænea pelui juxta mensam posita, globum manu tenuisse; hoc consilio, ut si forte gravatum assiduitate meditandi corpus altior oppressisset somnus, globi e torpente manu in æs delapsi sono excitaretur. CLAUDIVS SALMASIVS ille rerum scitu dignarum promuscondus, de quo recte non nemo dicere solitus est, in scribendo ita fuisse versatum, ut ne spicilegium quidem reliquerit; quum Heidelbergam venisset, in instructissimam Academiæ illius bibliothecam omnino se abdidit, dies totos in perlustranda ea exigens, & tertiam quamque noctem pervigilans. Haud indiligens melioris antiquitatis quæsitior, TURNEBUS, studiis adeo devinctus fuit, ut ipsa nuptiarum die nonnihil iis temporis dederit. Taceo innumeros alios, qui ingenuis studiis atque artibus magno delectati opere, nec valetudinis, nec rei familiaris habuere rationem; omniaque perpessi sunt, ipsa cognitione, & scientia capti; & cum maximis curis, ac laboribus compensarunt eam, quam ex discendo ceperunt, voluptatem. Quid? quod nostra memoria complures fuerunt, quibus

fructuosa industria & vitam dedit, & abstulit? Hoc etiam tempore invenias, qui gloriosum sibi existimant impallescere chartis.

Quæ omnia non eo a me allata sunt, ut nimiam in discendo assiduitatem, aut quidquid multi ex recensitis ærumnabili labore congefferunt, laudem & approbem. Id, cum Terentiano illo Sosia, in omni vita adprime utile esse arbitror, ut ne quid nimis. Est litterarum non satietas quidem, sed modus quidam. In primis non placet nimis magnum studium, atque insana opera, quam multi in res obscuras ac difficiles contulerunt, eademque non necessarias. Qualis, exempli gratia, diligentia fuit Chrysippi, supra nobis memorati: qui tam laboriose haulit, & tam pertinaciter tradidit Logices subtilitates dicam, an futilitates, ut ad ea quæ scripsit penitus cognoscenda, longa vita opus fuerit. Sed quæ dixi, eo spectant ut appareat, studiis, nulla utilitate objecta, delectari animos, atque ipsa scientia, etiam si incommoda naturæ sit, gaudere.

Ac ne quis putet, illos tantum, qui optime nati, institutique sunt, animum ad discendum appellere adjungereque: facile est vim naturæ cernere in primis puerorum ætatulis. Videmus enim, ut conquiescere ne infantes quidem possint: ut, cum paullum processerint ætate, ne verberibus quidem a contemplandis rebus, perquirendisque deterreantur: ut pulsî requirant, & aliquid scire se gaudeant: ut aliis narrare gestiant: ut pompa, lusionibus vel laboriosis, atque ejusmodi spectaculis teneantur, ob eamque rem vel
famem,

famem, & sitim perferant. Eaque cupiditas sciendi & agendi aliquid adolescit una cum ætatibus.

Quid, quod homines infima fortuna, nulla rerum gerendarum, opifices denique & rustici delectentur scientia? maximeque eos videre possumus res gestas aliaque audire, & legere velle, qui a spe gerendi absunt, confecti senectute. Quocirca intelligi necesse est, in ipsis rebus, quæ discuntur, & cognoscuntur, invitamenta inesse, quibus ad discendum, cognoscendumque moveamur; simul, eam esse animi indolem, ut appetat aliquid agere semper, neque ulla conditione quietem sempiternam possit pati. Hinc animadvertere licet, in sequiore quoque sexu matronas, virgines, puellas, fœminas item omnes, vel honestarum rerum scientia delectari, vel fictas fabulas cum voluptate legere, vel narratiunculis, facetiis, ludis, e quibus aliquam utilitatem duci posse putant, tempus fallere.

Quin etiam inertissimos homines, nescio qua singulari segnitie præditos, videmus tamen & animo, & corpore moveri semper, &, quum re nulla impediuntur necessaria, aut alveolum poscere, aut quærere quempiam ludum, aut sermonem aliquem requirere: cumque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos, & semicirculos confectari. Ne bestiaë quidem, quas delectationis causa concludimus, quum copiosius alantur, quam si essent liberæ, facile patiuntur sese contineri: motusque solutos & vagos, a natura sibi tributos requirunt.

Sed

Sed quid attinet de rebus tam apertis plura disserere? Ex dictis satis superque apparere arbitror, homines ut ad agendum, ita ad discendum esse natos, atque adeo, quotquot rationis sunt participes, φιλομαθεῖς esse, & naturali quodam instinctu ad rerum cognitionem ferri. Nunc, an id, & quanto humanæ naturæ ornamento sit atque emolumento, disquirendum videtur: Sed hæc, & plura alia huic argumento adfinia, deinceps ordine dicentur.

F I N I S.



Oratio